

*Q. D. B. V.*

*186*

NOVITATEM  
REGIMINIS MO-  
NARCHICI  
IN ECCLESIAM UNIVERSAM  
PRÆSIDE

SALOMONE DEYLINGIO,  
S. S. THEOLOGIÆ DOCTORE, EJUSDEMQUE  
PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, CAPITULI CL-  
ZENSIS CANONICO, CONSISTORII ASSESSORE.  
NATIONIS MISNICÆ SENIORE, ECCLESIÆ HUJUS LOCI  
AD D. NICOLAI PASTORE, ET DIOECESÆOS  
LIPSIENSIS SUPERINTENDENTE,

IN ACADEMIA, QUÆ LIPSIÆ FLORET,

PERSPICUE EXPONET

M. CHRISTIANUS KORTHOLTUS,  
KILON. HOLSAT.

DISSERT. II.


---

D. XXIV. Januar. A. O. R. cl 10 CCXXX.

---

LIPSIÆ, LITTERIS SCHEDIANIS.

NOVITATIS  
REGIMENTIS MO<sup>RE</sup>  
NARATIVE  
IN ECCR<sup>Y</sup> MUNICIPALIUM  
SALOMONI PFLUGIO  
SS. THEODORI DOCTORIS DEMONTE  
PROGESSUS LITERARIUS ET HISTORICUS  
SALOMONI PFLUGII ET HISTORICUS  
AD MOCULAI VASDORF ET DIOCESEOS  
THESSALIAE ET MUNICIPALITATIS  
ACADEMIAE ET LIBRARIAE  
CHRISTIANI XORTONTIS  
PRAESES  
C. M. V. M. C. A. S. D. C. E. C. S.  
1711. 11. 11. 1711. 11. 11.



V.

Seculo demum tertio a natâ mundi salute ortum debent Metropolitani, qui primæ in provincia urbi ita præpositi erant, ut ceteri ejusdem provinciæ Episcopi illorum jurisdictioni sensim paullatimque subiicerentur.

EXPOSITIO.

§. I.

**S**erius introduci cœperunt splendidi Primate, Exarchorum, Archi-Episcoporum, Patriarcharum, quin & Metropolitanorum tituli, quorum institutionem plerique adversariorum a Christo, vel Apostolis repeterunt, contendentes, Servatoris legatos orbem Ecclesiasticum in provincias distribuisse, singulisque provinciis Metropolitanos, ac Diocesis.

Dioecesibus Patriarchas præposuisse. Hanc ob causam IS. HABERTUS in Archieratico f. 372 Titum Cretensium appellat Metropolitam. Eandem sententiam prodidit BLANCHINIUS in Notis ad Anastasium Bibliothecarium T. II. f. 231, ubi Titum vocat Cretæ Metropolitam, & Primatem totius insulae. Universum ordinem Hierarchicum in Ecclesia tempore Apostolorum jam stabilitum, quin ab ipso Christo institutum esse, CIACONIUS & SOMIER in Notis ad eundem ANASTASIUM l. c. f. 253, editionis novæ, Romæ nuper a BLANCHINO splendide excusæ, monuerunt. Et miror, prater JAC. USSERIUM, BEVEREGIUM & HAMMONDUM, Anglos pereruditos, & a corruptilis Pontificiis alienos, sed nimio partium Episcopatum studio ductos, ex Pontificiis etiam PETRUM de MARCA, virum emunctoris naris, & candore perinde, ac rerum Ecclesiasticarum peritia insignem, tam obsoletæ opinioni subscrivisse, L. I. de Concordia S. & Imp. Cap. III. f. II. f. 9, ubi docet, Ecclesias ad exemplum Romani Imperii ita tributas fuisse ab ipsiis met Apostolis, ut inter fratres ejus Episcopi prima sententia haberetur, cui Metropolitanæ urbis Episcopatus concreditus fuisse. MARCAM confutavit L. ELL. du PIN in Tractatu pereleganti de *Antiqua Ecclesie Disciplina Diff. I. §. VI.*, ubi examinatis PETRI de MARCA argumentis præclare ostendit, Metropoliticam, aut Patriarchalem dignitatem, a Christo, vel Apostolis, nequaquam institutam esse. Conferantur JOSEPHI BINGHAMI *Origines Lib. II. Cap. XVI. §. I. & II.*

Metropolitæ igitur dignitatis institutio non est divinæ originis, sed humanae. Imperio Romano in regiones ac provincias distributo, in singulis provinciis erant urbes primariae, seu metropoles, quibus ceteræ erant obnoxiae. De his metropolibus

polibus, per Romani Imperii provincias constitutis, erudite egerunt ANTON. van DALEN *Dissert. III.* p. 235, & EZECH. SPANHEMIUS *de Usu & Præstantia Numismatum T. I. Diff. IX.* f. 575 seq. & f. 589. Cumque regionum incolæ proprie civilia negotia metropoles frequenter adirent, & inde cum iudiciorum sententiam, tum merces, & cetera, petere solerent, simile aliiquid in rebus Ecclesiasticis tentarunt Christiani. Quando igitur ordinandus, vel exaucto rāndus aliquis antistes, aut lis in Ecclesiis minoribus orta componenda, vel in commune de Ecclesiæ utilitate deliberantur erat, nec Apostoli, ad quos harum rerum procuratio antea pertinebat, amplius supererant, adiri cœpit urbis metropoleos antistes. Hic mos ab initio per consuetudinem invaluit, in nonnullis saltim regionibus. Sed paullo post, comprehensa instituti utilitate, longius propagari, ac tota Ecclesiæ distributio magna ex parte institui cœpit ad civilem Imperii Romani formam, ita ut urbes ejus metropoles, fierent etiam Ecclesiæ metropoles. Et ut Præfectoris regionis, sive Consularis, sive Corrector, sive Praeses ille esset, in metropoli, super universam provinciam habebat potestatem, unde *Metropolitanus Judices a JUSTINIANO* vocantur *Nov. I. cap. 4.* sic metropolitanus etiam antistes potestatem accepit deponendi, aut consecrandi reliquos totius provinciæ Episcopos, cogendi synodos provinciales, ad componenda dissidia in Ecclesiis orta, & condenda decreta, tuenda disciplinæ & religionis conservationi, atque amplificationi inservitura. Quæ omnia, et si sine comprovincialium Episcoporum consilio & consensu fieri non posuerunt, multum tamen auctoritatis attulerunt illis Episcopis, qui ἐν πόλεσι, & in provincia metropoli vivebant. Hinc *thronum Episcopalem* jam tertio seculo legas commemorari, & cathedram reliquis sublimiore, pro sublimitate, vel dignitate,

ac amplitudine urbium, quarum Ecclesiis antistites praeerant. Hinc cum Episcopi urbium Arelatensis & Viennenis de primatus honore certarent, a Concilii Taurinensis, sub finem seculi quarti collecti, Patribus, Can. II. definitum est, ut qui ex iis approbaverit, suam civitatem esse Metropolim, is totius provinciae honorem primatus obtineat, & ipse, juxta praeciprum Canonum, ordinationum habeat potestatem, apud HARD. T.I. Conc. f. 958.

### §. III.

Hac igitur occasione nati sunt Metropolitani, qui primæ regionis urbi ita præpositi erant, ut illis ceteri Episcopi subiecti essent. Sicut autem Metropoles in una provincia, quandoque duæ aut plures, e. g. in *Palestina Cæsarea & Ælia Capitolina*; in *Asia Proconsulari Ephesus, Smyrna, Pergamus*; in *Bithynia Nicomedia & Nicaea*, ac postea Chalcedon; in *Ponte Amasus, Neo Cæsarea &c.* Sic plures postea nati Metropolitani, hoc tamen discriminare, ut alter honorarius dumtaxat esset, habens ἀναστήσεις τῆς τιμῆς, Canone VII. Niceno, non autem patrem εἰστοκεῖ, τὴν μητροπόλεων τὸν δικές αξιώματος, metropoli propria dignitate servata. Et quis improbet hoc veteris Ecclesia institutum, quod primatum & præcipuum sedem in Imperio Romano habens, εὐταξίας, & boni ordinis causa, cuius semper fuit studiosa, regimen sacrum ad civilem Romanæ Republicæ formam adcommodebat. Hæc regiminis Ecclesiastici forma, consuetudine primum introducta, postea Conciliorum decretis confirmata est. Huc pertinet canon IX. concilii Antiocheni, ubi clare indicatur, τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα Επίσκοπον καὶ τὴν Φρεγτίδα εἰρηθεδού πάσην τῆς ἐπαρχίας, Metropolitanum Episcopum solitudinem totius provinciae gerere, propterea quod ad metropolin undique, qui negotia videntur habere, concurrunt. Unde placuit eum & hono-

honore præcellere, & nihil præter eum ceteros Episcopos age-  
re, secundum antiquam regulam a Pairibus constitutam. Simi-  
liter a Conciliis Chalcedonensis Patribus sanctum legimus:  
τοῖς πολιτικοῖς καὶ ὅμιλοις τόποις καὶ Εὐλησταῖς ἡ τάξις  
ακολεύεται, civiles ac publicas formas Ecclesiasticus quoque  
ordo consequatur, Can. XVII. Concil. Chalced. T. II. Concil.  
HARDUINI f. 607. Res adeo manifesta est, ut ipsum Anna-  
lium Ecclesiastorum conditorem CÆS. BARONIUM ha-  
beamus confitentem, ac nostræ opinionis suffragatorem. Ve-  
teres enim in instituendis sedibus Ecclesiarum non aliam, aut  
inißerationem, quam secundum provinciarum divisionem, &  
prærogativas a Romanis antea stabilitas. Hujus rei unum  
vel alterum exemplum affert, ac illud in primis de sede Antio-  
chena. Quæ, quantumlibet ante Alexandrinam a Petro Apo-  
stolo fuerit instituta, tamen, quoniam Praefectura Alexandri-  
na, Augustalis dicta, ab Augusto eo nomine insignita, magnifi-  
centissime præ ceteris ab eodem fuerat nobilitata, longe præ-  
stabat Syriæ praefecture. Ea de causa factum apparet, ut  
quamvis sedes Antiochena ante Alexandrinam, a Marco no-  
mine Petri erectam, fuerit instituta, tamen illi postposita ha-  
beatur. Sic etiam, quoniam inter omnes orientales praefectu-  
ras Syriæ Proconsulatus præstabat, cum ejus provinciæ metro-  
polis esset Antiochia, inde etiam accedit, ut prima omnium Ec-  
clesia Antiochena haberetur. Et quamvis Hierosolymorum  
Ecclæsia prima omnium origine temporis, & nobilitate rerum  
in ea consummatarum merito dici posset, ceterisque ea de cau-  
sa, quæ in oriente essent, Ecclesiæ, jure præferenda videretur,  
illi tamen subjeceretur, Annalium T. I. ad Ann. Chr. XXXIX.  
Num. X f. 270. Consentit JOSEPHUS MOTTA in Diff. de  
Metropolitico Jure §. XV. p. 26. & §. XLVII. p. 66.

## §. IV. In



## §. IV.

In Africa sola res aliter se habebat. Apud Afros enim mos erat, ut singulis in provinciis ille loco Primatis, aut Metropolitanus haberetur, qui ordinatione foret antiquior. Unde non primus, sed senex, aut *primæ sedis Episcopus*, vocabatur. Sola Ecclesia Carthaginensis, inter ceteras pene innumeratas, perpetuo primatu gaudebat. Cum autem sedes episcopales in exiguis & ignotis Africæ vicis institutæ essent, saepè factum est, ut ignobilis oppidi antistes reliquis suæ provinciæ Episcopis præcesset, tanquam Primas. In ceteris Romani Imperii partibus non ordinatio antiquitatem, sed urbium dignitatem in constituendis Metropolitanis respexerunt.

## §. V.

Equidem nomen *Metropolitanorum* in seculi tertii monumentis nusquam occurrit, ne apud CYPRIANUM quidem, multo minus apud TERTULLIANUM, aut eo vetustiores. Res ipsa autem obtinuit in multis locis, ut viri harum rerum gnari dudum observarunt. Dicebantur ἔξαρχοι τῶν ἐπαρχιῶν, οἱ εἰ τῇ μητρόπολει, vel τῇ πρώτῃ τῷ θρόνῳ ἐπίκοντο, in urbe matrice, principe, prima sede, qua teneret totius provinciæ principatum. In Africa appellabantur PRIMATES & SENES, quia episcopus senior in provincia Imperator Metropolitanus erat. Hoe liquet ex Codice Africano, & Epistolis Divi AUGUSTINI. Ejusmodi igitur civitatis antistiti prærogativa honoris & auctoritatis hoc seculo jam adscripta fuit. In quem ordinem referri merentur Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, Ephesinus, Cæsareensis, Heracleensis, Carthaginensis, & ceterarum urbium Episcopi, in quibus provinciarum Praesides, vel Legati Augustales, Proconsules & Praetores agebant. Hinc Patres Nicæni Canone sexto Metropolitanorum

jura

## §. VI.

jura asserturi, provocant ad APXAIA EOH, *antiquas consuetudines*. Supponunt igitur, seculo jam tertio fuisse ejusmodi negotiis; & senatus Ecclesiastici per totam provinciam Praesides, qui Synodum totius provincie indicebant, provocationes a reliquorum Episcoporum judicio interpositas, recipiebant, morum censuram in alios antistites fratres exercebant, & contra disciplinam delinquentes gradu submovebant. Exemplum hoc ipso aeo habemus in CYPRIANO, qui FORTUNATIANUM in Proconsulari Africa Episcopum, quandoquidem sub Decio idolis sacrificaverat, gradu sacerdotii excidisse judicat, monens Assuritanam plebem, ut omnibus viribus excubarent, ne tales ad altaris impiamenta, & contagia fratrum, denuo redeant, Epist. LXV. f. 162. Et D. AUGUSTINUS Primatem Numidiensem &que comitemorat, ac Primatem Carthaginensem ante schisma Donatistarum, Brevitudo Collationis tert. die Cap. XVI. f. 29. f. 388. T. IX. edit. Benedict.

## §. V.

Neque tamen existimandum est, ubique locorum, ubi metropoles civiles fuere, continuo etiam Ecclesiasticas fuisse. ANT. PAGIUS diligenter inter se contulit scriptores antiquos, a quibus aliqua lux affulgere potest, sed nihil ex illis eruere potuit, quod ostendat, ante Constantini M. imperium Metropolitanos in Galliis aliquo jure potitos esse. Quare, inquit, sicut in Hispaniis ante Concilium Eliberitanum, & Constantiniana tempora, nulle fuere metropoles Ecclesiastice, licet in iis essent metropoles civiles, & sicut ibidem post introduclos Metropolitanos, nulli Primates extitere, ut ostendit JOANNES de SEGOVIA, Marchio Agripolitanus, vir in antiquitate versatissimus, in suis dissertationibus ecclesiasticis lingua Hispanica nuper editis, ita & in Gallia ante Constantini impe-

rium nullas metropoles fuisse autumo, ad A. Chr. CCCC.  
Num. L. T. II. f. 47. Quod PAGIUS de Hispania dixit, clare  
intelligitur & confirmatur Concilii Eliberitani Actis, quod sub  
initium seculi quarti celebratum est, ubi inter Episcopos va-  
riarum ac dissitarum Hispaniæ urbium subscribentes, nullus  
invenitur Metropolitanus, sive Archi-Episcopus. Quin & in  
ea synodo primus subscriptis, & confirmavit canones FELIX,  
antistes Accitanus, secundo OS!US, Cordubensis, tertio SA-  
BINUS, Hispalensis. Tertio denum decimo loco MELAN-  
TIUS, Toletanus Episcopus. Unde intelligitur, illo tempore  
Toletanum & Hispalensem nondum fuisse Metropolitanos, vel  
Archi-Episcopos, quia primo loco non subscripterunt, quem-  
admodum postea in aliis Hispaniæ Conciliis factum est. Vi-  
deantur MENDOZÆ nota ad istos Canones, & quidem ad  
Can. XLII. apud Card. de AGVIRRE T. I. Concil. Hisp. f. 64i.

## VI.

Omnis Episcoporum prærogativa, &  
auctoritatis potestatisque discri-  
men, si quod fuit, non aliunde, quam  
a dignitate urbis, ubi sacris præfue-  
runt, derivari debet.

## EXPOSITIO.

## §. I.

**Q**uemadmodum in Romano Imperio quædam civitates  
dignitate præ ceteris eminebant, earumque Rectores  
ceterarum urbium magistratibus præferebantur: ita &  
Episcopis pro civitatum, quibus præpositi erant, amplitudine  
& digni-

& dignitate, major auctoritas sensim paullatimque adcrevit. Nemo non novit, orbem Romanum inde ab ætate Augusli in varias regiones atque provincias, quin & dioeceses ac præfectorias, divisum fuisse. Quæ partitio ab Hadriano paullulum immutata, tandem a Constantino M. ita emendata est, ut imperium universum quatuor Præfectis prætorio committeretur, quibus singulis Vicarii dioecesum, Pro-Consules, Præsidæ, & Correctores provincialium suberant. Et sicuti universa Ecclesiastica distributio in plerisque ad civilem imperii formam facta est, ita urbis primariaæ antistes super universam provinciam in plurimis locis\* accepit potestatem, cum ad ordinandos aut exauktorandos reliquarum civitatum Episcopos, tam ad componenda dissidia in Ecclesiis exorta, nec non ad convocandas synodos, aliqua jura cum co-provincialium Præfulum consilio & suffragiis exercenda. Paullo post urbæ, quæ integræ dioeceseos, sive plurium provincialium, collecte sumtarum, metropoles erant, nova quædam in ceteras provincias

G 2

vincias

\* Qui regulam hanc faciunt universalem, illi non considerant, quam multas et patiatur exceptiones. Sic facile conficitur, singulis Metropolibus civilibus non respondisse Metropoles Ecclesiasticas. In dioecesi Alexandrina plures provincie Cyrenaica, Libya, Thebais, unico Metropolite Alexandrino subjacebant. In Africa, ut antea observavimus, antiquior episcopus censebatur Metropolia. In Galliis quarto Ecclesiæ seculo varias metropoles civiles Episcopos tantum habuisse, ANT. PAGIUS in Critica Annalium Baronii ad A. DCCXLV. Num. V. f. 266 adnotavit. Eadem ratione seres habebat cum multis metropolibus Italiæ. Confer. L. E. du PIN de Antiqua Ecclesiæ disciplina Diff. I. S. VIII, ubi provincialum & dioecesorum Ecclesiasticarum distributio ad formam politici regiminis describitur, & præcipue in illa mutationes annotantur.

vincias privilegia obtinuere. E quibus seculo post Christum  
 natum quarto tres iuprimis Romani orbis civitates & Ecclesiae  
 eminuerunt, Romana videlicet in occidente, *Alexandrina* in  
 Aegypto, & *Antiochena* in oriente. Quibus *Constantinopolis*  
 postea, qua nova Roma dicebatur, & *Aelia* sive *Hierosolyma*,  
 quod nomen, clericorum ambitione, possimmo revocatum  
 fuit in usum, accesserunt. Haec sedes propter istarum urbium  
 amplitudinem, splendorem & dignitatem perexlimia jura sibi  
 vindicarunt, vel in Comitiis Patrum concessa, ac confirmata,  
 acceperunt. Sic Nicenii Patres jura metropolitica asserturi,  
 non ad Christi, vel Apostolorum institutionem, sed ad *ægypciac*  
 et *antiquos mores*, provocant. Idem antiquæ consuetudini-  
 nis ac traditionis esse ajunt, ut *Aelia* Episcopus honoretur, sed  
 ita, ut subesse *Cæsariensi* Metropolitano. Si τα πρεστεῖα illa  
 ortum habuissent a Christi legatis, veri non est simile, eos  
 Cæsareas potius, quam Hierosolymas, Christi præsentia, & re-  
 rum gestarum gloria, diuturnaque Collegii Apostolici com-  
 memoratione, ac primo Evangelii præconio illustratae, auctorita-  
 tem, & εξολαν, delaturos fuisse. Respexerunt igitur Nicenii  
 ad illam consuetudinem, qua factum, ut Ecclesia regimen for-  
 man civilem sequeretur. Hanc ob caussam Antiocheni Pa-  
 tries Can. IX & XX jus supremum illis adscribunt Episcopis, qui  
 προεστοί τῆ μητροπόλεις, præerant metropoli, & qui οἱ πεπ-  
 τεύοντας μητροπόλεις, quibus metropoles creditæ erant. Sic  
 Patres Constantinopolitani Concilii Oecumenici II. Can. III.  
 apud HARDUINUM T.I. Concil. f. 810 Byzantinæ civitatis  
 Præfuli secundum locum tribuerunt, quia Byzantium facta  
 erat ἡ νέα Ρώμη, nova Roma. De quo titulo legitur CAROLI  
 du FRESNE *Constantinopolis Christiana* L. I. f. 33. Canonis  
 verba hæc sunt: Τὸν μὲν τοι Κανταυτικόπολεως ἐπίσκοπον ἔχειν  
 τα πρεστεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ρώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἴας  
 αὐτὴν

εὐτὴν νέαν Πόμην, *Constantinopolitanae civitatis episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum episcopum, propterea, quod sit nova Roma.* Videlicet CONSTANTINUS M. Byzantium delegerat imperii sedem, & novæ Romæ titulo patriter ac privilegiis ornarat. Par igitur videbatur, ut hujus urbis antistes, qui sub Heracleensi Metropolitanu huicdum fuerat, nunc autem Präfuli Romano æquatus, proximum ab eo dignitatis locum obtineret, novo & evidenti exemplo, in ordine & gradu episcoporum constituendo, non auctoritatis, agit fundationis Apostolicae, sed urbium habitam fuisse rationem. Quo amplior & illustrior civitas erat, eo dignior etiam ejus antistes censebatur. BARONIUS, BINIUS, ALLATIUS hunc canonem vellent dispunctum, quem suppositum esse non tam probant, quam optant. Sed frustra istum canonem sollicitant, quem, ut a patribus Constantinopolitanis conditum, citarunt SOCRATES L. V. Cap. 5, SOZOMENUS VII. 9. & CHALCEDONENSES confirmarunt, citaruntque Can. XXVIII, ut suæ definitionis fundamentum. Quin & ipse LUCENTIUS, sedis Apostolicae legatus, agnovit, hunc canonem centum & quinquaginta Patrum esse. DIONYSIUS præterea EXIGUUS, & quicunque eum secuti sunt, omnibus Canonum collectionibus eum inseruerunt. Repugnasse DAMASUM huic canoni, vel successores ejus, ad LEONEM M. usque, nullo argumento ostendi potest. BARONII rationes examinavit, & solide confutavit DUPINIUS Diff. I. de antiqua Ecclesiæ disciplina §. XI. p. 48.

## §. II.

Inde facile appetat cauſa, quare Alexandrinus antistes prælatus fuerit Antiocheno? Ratio constantis hujus ordinis non aliunde repeti potest, quam ab urbium ac præfecturarum dignitate. Post Romanam proxima erat Alexandria & Augustalis

Iis Praefecti sede, ac potentia & amplitudine vere illustris, ac  
 δευτέρα τῶν ὑπὸ τὸν ἥλιον, secunda urbium, quae sub sole sunt,  
 teste DIONE CHRYSOST. *Orat. XXXII.* Ratio etiam redi-  
 di potest, cur urbis Romæ antistes ceteris orbis Christiani epi-  
 scopis omnibus, & ordine, & dignitate, quin & auctoritate po-  
 tior, ακορεφαύρατος olim habitus fuerit? Reddi potest ratio,  
 cur S. IRENÆUS Ecclesię Rom. tribuerit *potiorem principali-  
 tam*, *Libro III. adversus Heresēs Cap. III. §. 2.* Hoc  
 antistitis Lugdunensis testimonio freti adversarii, miro agunt  
 triumphos. Legatur REN. MASSUETI *tertia Dissertatio*,  
 quam IRENÆO, abs se edito, præmisit *Artic. IV. §. 30. f. 129*,  
 ubi GRABIUM in primis exagitavit. Sed merito irridentur,  
 qui ante victoriam triumphant. Res nostra salva est. Loqui-  
 tur enim sanctissimus Præsul de potiori *principalitate ordinis*, ab urbis æternæ amplitudine, dignitate, splendore & do-  
 minatu in universum orbem, repetenda. Roma enim omnium  
 civitatum & gentium, quin & universi orbis metropolis erat, &  
 caput, domiciliūque omnis gloria & dignitatis. Quibus or-  
 namentis accedebant fundatorum illius Ecclesię auctoritas, &  
 gloria martyrii, quo uterque Apostolorum, & Petrus & Paullus  
 ibi coronati erant. De principatu dominii, de potestate ac  
 jurisdictione, Romana Ecclesiæ, vel ejus antistiti, in reliquas  
 orbis Ecclesiæ competente, IRENÆUS ne per somnium qui-  
 dem cogitavit. Alias in causa paschali VICTORI Romano  
 fese nequaquam fuisse oppositus. Neque illum Romani  
 antistitis pontificatum œcumenicum, & dominatum, quem  
 postea, temporis opportunitate usi, arripuerunt, seculo post  
 Christum natum tertio, agnovere CYPRIANUS & FIRMI-  
 LIANUS, STEPHANO Pontifici Romano in quæstione de  
 rebaptizandis hæreticis graviter contradicentes. Apparet  
etiam

etiam ratio, cur CYPRIANUS *Epist. LIX. ad CORNELIUM*  
*f. 136* Ecclesiam Romanam appellari *principalem*, hoc est,  
 RIGALTIO interprete, in urbe principali constitutam. Sen-  
 tentiam nostram confirmat Concilii Chalcedonensis Canon  
 XXVIII, ubi Romano Præsuli eminentior locus adscribitur,  
 non aliam ob causam, quam *diec τὸ Εκκλησίου τὴν πόλιν ἐκεῖνην*,  
*quod urbs Roma ceterarum erat regina*. Facile etiam in-  
 telligitur, quo sensu AMMIANUS MARCELLINUS dixe-  
 rit, *eternæ urbis episcopos auctoritate fuisse potiores*, *Libr.*  
*XV. Cap. VII. f. 92*. Nil opus erat, ut VALESIUS in notis  
 hæc verba adscriberet: *Hic locus notabilis est de auctoritate*  
*Pontificis Romani, vel maxime ob testimonium hominis ethni-*  
*ci*. Nemo enim ejus dignitatem, ceteris episcopis potio-  
 rem, & *τὰ πρεσβεῖα*, ex Urbis prærogativis olim accepta, impu-  
 gnat. Nec minus apparet ratio, cur Romanus antistes in  
 dubiis, vel gravioris momenti rebus, præ ceteris consultus, &  
 cur ejus imprimis auxilium imploratum fuerit? Nam majores  
 Ecclesiæ consilia dabant minoribus, earumque caussas, quoad  
 poterant, juvabant.

## VII.

Etsi Metropolitanorum dignitas tem-  
 pore Concilii Nicæni summa fuit,  
 tres tamen ex illis imprimis eminu-  
 erunt, Romanus, Alexandrinus, &  
 Antiochenus, quorum quisque  
 peculiarem, & per amplam suam  
 diœce-

dioecesin ita regebat, ut nullus in ceteros aliquid juris, vel potestatis haberet.

## EXPOSITIO.

### §. I.

**E**PISCOPUS unius dumtaxat urbis, & circumiacentis agri, regimen administrabat. Sed METROPOLITANUS in episcopos totius provinciae jus exercebat, & ut omnia per universam provinciam secundum canones, rectumque ordinem fierent, curabat. Et quia Metropolitanus ab initio superiorem non agnoscabant, sed αὐτοὶ φαλοὶ erant, vocabantur πρῶτοι & καθεδά, primates & capita, totius scilicet provinciæ, quia ἐν τῇ πρώτῃ τῇ ἔβρες, in urbe matrice, prima ac principe constituti erant. Huc pertinet Canon Apostoli. XXIII, ubi edicitur: Episcopos unius cuiusque gentis nosse oportet, τὸν εἰ αὐτοῖς πρῶτον, eum, qui inter eos est PRIMUS, καὶ ἡγέθει αὐτὸν ὡς καθεδά. Exsistimare, ut CAPUT, & nihil facere, quod sit arduum, aut magni momenti, præter illius sententiam. Concilii Sardicensis Canone VI vocantur ἔξουσοι τῆς ἐπαρχίας, primates provinciæ. Sine eorum consensu episcopi suffraganei nec eligi, nec consecrari poterant. Si qui simile quid auderent, & electio & ordinatio irrita declarabatur. Ita pronunciarunt Concilii Nicenii patres Canone sexto, ut ἀτις χωρὶς γράμμα τῷ μητροπολίτῃ γένοτο ἐπίσκοπος, si quis absque Metropolitanus sententia factus sit Episcopus, eum magna syndicus definivit, μὴ δὲ οὐαὶ ἐπίσκοπον, non esse episcopum. Eadem lex in Antiocheno, Laodiceno, Arelatenfi, Taurinensi, Sardicensi, Ephesino, Chalcedonensi, aliisque Conciliis.

Conciliis legitur repetita. Legantur JOSEPHI BINGHAMI  
*Origines, sive Antiquitates Ecclesiasticae, Libro II. Cap. XVI.*  
*§. XII.* In controversiis, inter antistites provinciales exortis,  
 licebat ad Metropolitanum provocare, cuius auctoritate finiri  
 & decidi solebant. Nam vel judices aliquot ex episcopis con-  
 stituebat, qui mos in Africa obtinuit, vel caussam retulit ad  
 synodum provincialem, ad quam omnes episcopos, Metropo-  
 litani jussu, coire oportebat. Nec synodis tantum sua aucto-  
 ritate praeerant, easdemque dirigebant, sed & Ecclesias visita-  
 bant, ac abusus, ne invalescerent, mature emendabant. Omnes  
 Metropolitanus antiquitus fuerunt αὐτοκέφαλοι, h. e. absoluti  
 juris arbitrio, & ab omni subjectione immuni libertate gau-  
 dentes, & nemini nisi Synodo generali ad reddendam ratio-  
 nem obstricti. Recte notavit BALSAMON ad Canonem II.  
 Constantinop. ἐπὶ τῷ παλαιῷ πότεροι τῶν ἐπισκόπων μητροπο-  
 λίται αὐτοκέφαλοι ήσαν, antiquitus omnes provinciarum Me-  
 tropolitanos fuisse autocephalos, & a suis Synodis ordinandos.  
 Consentit MOTTA: *Summa olim & autocephala, semperque*  
*magna fuit Metropolitanarum auctoritas, Diss. de Jure Metro-*  
*polit. §. LXXX. p. 106. & §. CXLIX. p. 193.* Serius quippe  
 exorti sunt Exarchi & Primates, qui pluribus provinciis simul  
 praeerant, & Metropolitanos sub sua jurisdictione habebant.  
 Quales erant *Ephesinus* in dioecesi Asiatica, *Heracleensis* in  
 Thracia, & *Neocæsareensis* in Pontica, aliisque. Ad honorem  
 etiam Metropolitanorum pertinebat, quod *Apostolici*  
 dicebantur. Qui titulus ab initio nascentis Ecclesie non soli  
 Papæ Romano tribuebatur, sed omnibus Episcopis, ac impri-  
 mis Metropolitanis communis erat. Ipse enim SIRICUS,  
 antistes Rom. hoc titulo omnes ornat Primates, quando vult,  
 ut extra conscientiam *Sedis Apostolice, hoc est, Primatis,*

nemo audeat ordinare, apud HARDUINUM T.I. Concil. f. 87.  
 Duravit hic Metropolitanorum titulus ad statem usque AL-  
 CUNI, qui, de Episcoporum electione verba faciens, ait,  
 defuncto civitatis Episcopo, alium eligi a clero, seu populo.  
*Fitque decretum ab illis, & veniunt ad Apostolicum cum  
 suo electo, Libro de Divinis Officiis Cap. XXXVI.* Ubi per  
*Apostolicum non Papa Romanus, sed cuiuslibet provinciae Pri-  
 mas, seu Metropolitanus, qui consecrandi jus atque potesta-  
 tem habebat, intelligi debet. Conferatur DU FRENE in  
*Glossario sub hac voce* f. 259.*

## §. II.

Observari tamen par est, non omnes Metropolitanos, po-  
 testate & auctoritate, pares fuisse. Prae ceteris mature emi-  
 nuit antistes Alexandrinus in Aegypto, qui & potestatis & juris-  
 dictionis ampliudine ceteris omnibus, ac ipso Papa Romano,  
 major fuit. Neque enim uni diuinitatæ provinciæ, sicut ce-  
 teri, sed universa Aegypto, Libya & Pentapoli, præcerat, qui-  
 bus regionibus minimum sex per amplæ provinciæ contine-  
 bantur, videlicet, *Thebais, Arcadia, Augustamnica, & Aegy-  
 ptus* sive ac proprie dicta, nec non *Libya inferior & Libya  
 superior*, quæ est Pentapolis, e quibus sæpen numero centum, &  
 plures Episcopi, ad synodum provincialem fuerunt evocati.  
 Tot congregati fuerunt in ea synodo, quæ damnavit Ariam,  
 teste ALEXANDRO Epist. Encyclica apud SOCRATEM  
*H. E. L. I. Cap. VI. f. II.* Et tot propemodum Episcopos in  
 Aegypto, Libya & Pentapoli fuisse, confirmat ATHANASIUS  
*Apol. II. f. m. 187.* edit. Benedict. Nam quot provinciæ Præ-  
 fecto Augustali parebant, tot eriam suberant jurisdictioni an-  
 tistitis Alexandrinii. Cumque tempore Synodi Nicæna nulli  
 essent in illis regionibus Metropolitanæ, præter Alexandrinum,

hic

hic solus in universa, & per ampla illa ditione, omnia jura metropolitica exercuit, solusque potestatem creandorum & inaugurarandorum Episcoporum per amplissimam diœcesis sibi vindicavit. Diu etiam jus illud antiquum, consecrandi episcopos recens electos, retinuere Praesules Alexandrini, postquam Metropolitani per Aegypti diœcesis constituti fuerunt. Hac de re nos certiores reddit SYNESIUS, qui ipsemet Prolemaidis Metropolitanus erat. Quando enim *Epistola LXXVI. f. m.* 223. THEOPHILO Alexandrino significat, se cum duobus aliis Episcopis Olibias, ad eligendum antistitem, proœctum, & ANTONIUM quemdam communis populi consensu electum esse, addit, ἐντὸς ἔτι δέ, τῇ κυριατάτῃ περ τοῦτον ιερᾶς σε χειρός, rem unam adhuc deesse, omnium maxime necessariam, ipsius videlicet manū, qua Episcopum novellum consecret. Unde intelligimus, non tantum Metropolitanorum, sed omnium quoque suffraganeorum episcoporum ordinationem ad Alexandrinum Patriarcham pertinuisse, & GVIL. CAVEUM erasse, quando in libro de veteris Ecclesie regimine Cap. IV. p. 159 opinatus est, antistites Alexandrinos, ad Patriarchale fastigium evectos, aliquid detrimenti cepisse, dum episcoporum provincialium ordinandorum jus, more in universa Ecclesia recepero, ad Metropolitanos, per Aegypti diœcesis recens constitutos, fuerit devolutum. Suffragatorem habemus SAM. BASNAGIUM Exercit. in Baron. p. 307.

## §. III.

Nec multum minor erat potestas Metropolitanus Romani, quam in Ecclesiis *suburbicarias* exercebat. Illi enim, perinde ac Alexandrino, & Antiocheno, a Patribus Nicenis adscribitur ἀξιωμα & εξουσία in cunctas provincias, sua procurationi subjectas. Quem morem ex antiqua consuetudine arcessunt

*Canone sexto:* Τὰ δέκατα ἔη κρατέτω, τὰ ἐν Ἀιγύπτῳ καὶ Λιβύῃ  
καὶ Περσίᾳ, ὡς τοῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον, πάντων τέτοιῶν  
ἔχειν τὴν εξουσίαν. Γραπτὸν τοῦ ἐν τῇ Ρώμῃ ἐπισκόπω τοῦτο σύντο-  
θει ἐστιν. Ὁμοίας δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις  
ἰπαρχίαις τὰ προσέδαια σύγεδαι, ταῖς ἑκκλησίαις. Ηὲς verba  
GENIANUS HERVETUS rectissime vertit: *Antiqui mores  
seruentur, qui sunt in Aegypto, Libya, Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem: quandoquidem episcopo Romano hoc est consuetum. Similiter & in Antiochia, & in aliis provinciis sua privilegia, ac sue dignitates, & auctoritates, ecclésiis seruentur.*

## §. IV.

Ex insigni hoc Patrum Nicænorum testimonio dilucide apparet, antistitem Romanum eo tempore non dominium & potestatem in universum orbem Christianum, sed in paucas duintaxat Italiz provincias jus habuisse; Nec oecumenicum, sed privatum & particularem Episcopum, ac Alexandrino, atque Antiocheno, non majorem fuisse. Græci autores hos Metropolitanos fuisse ajunt: μοναχοίς, ὅλος ἵστος, ὅμιλοι πρεσβεῖοι,  
μιας αἵρετος, αὐτοκράτορες, αὐτοκράτερες ac πρωτοθέρευες. Ergo omnes pari loco habuerunt. Contra autem gnathones, qui Romanæ curiæ suam addixerunt fidem, canonem vel invitum in suas partes trahunt, & eo detorquent, ut primatus Pontificis adstruatur. Has nugas præ ceteris egerunt TURRIANUS, BARONIUS, BINIUS, BELLARMINUS, PERRONIUS, PETAVIUS, SIRMONDUS, ALLATIUS, ABR. ECCHEL. LENSIUS, PETRUS de MARCA, H. VALESIUS, aliique. Nulli autem impudentius immodestiam, partiumque studium proddiderunt, quam BARONIUS & BELLARMINUS, patres purpurati, tuendæ, amplificandæque potestatis Pontificia nimis studiosi, qui hunc canonii sensum intesse contendunt, videlicet,

episco-

episcopum Alexandrinum ecclesiarum, quæ sunt in Ægypto, habere potestatem; quoniam sic moris fuit episcopo Romano illud concedere; sive quod Romanus episcopus ante omnem conciliorum definitionem consuevit, per Alexandrinum episcopum alias provincias gubernare. Hanc genuinam esse canonis interpretationem, probant ex GELASIO Papa, tres enumerante ab ipso Petro Apostolo, vel Petri nomine institutas sedes, Romanam, Alexandrinam & Antiochenam. Quas tradit, sedes esse Petri, illi subjectas. Præcipuum vero esse Romanam. Sic sententiam exposuit LEO ALLATIUS de *Perpetua Confessione L. I. Cap. XII. §. III. p. 189.* Contra has, aliasque adversariorum depravationes, legi merentur EDM. RICHERIUS in *Hist. Concil. Gen. L. I. Cap. II. ubi §. XIII. p. 53.* recitata hac sententia, subjicit, BELLARMINUM magis rideendum, quam confutandum, quoniam tota hæc ejus narratio id pro certo assumit, quod est controversum, scilicet Papam iure divino esse absolutum Ecclesiæ Monarcham, nec non JO. LAUNOVIUS, Parisiensis Theologus, ab insigni antiquitatis Ecclesiastica peritia & cædore laudandus, in *Diss. de Recepta Nicæni Canonis sexti intelligentia*, FR. SPANHEMII *Dissertatio de Sensu Canonis sexti Concilii Nicæni primi*, LEONI ALLATIO, EMMANUELI a SCHELSTRATE, aliisque opposita, quæ continetur *Tomo II. Operum*, CLAUD. SALMASIUS de *Primatu Pape Cap. VII. p. 101.* & ex nostris CHRISTIANUS KORTHOLTUS, in cuius *Disquisitionibus* peculiaris exstat Exercitatio, qua BARONII & BELLARMINI depravationes examinantur, & solide profligantur.

## §. V.

LEO ALLATIUS, PETRUS de MARCA, aliquæ, eeteris Pontificiis paullo modestiores, ac in primis H. VALESIUS, opinati sunt, jura Patriarchalia, quibus Romanus, Ale-

INDIA

H 3

xandri-

xandrinus, & Antiochenus, ante Nicenum Concilium, & inde a nascentis Ecclesia exordio jam gavilli sunt, hoc canone confirmata esse. Hos enim Praesules jam inde ab Apostolicis temporibus, & ab ipsis Ecclesia cunabulis, Patriarchas fuisse, & jus Patriarchicum exercuisse, H. VALESIUS ait *Libro III. Observ.* in *Socrat. & Sozom. Cap. V. & VII. f. 190.* Conf. PETRUS de MARCA in *Concordia L. I. Cap. III. §. 2.* & LEO ALLATIUS *I. c. p. 190.* ANT. PAGIUS in *Critica Anti-Baronianæ ad A. Chr. CCCXXV. Num. XLI. f. 413,* & NATALIS ALEXANDER in *H. E. Seculi IV. Diff. XX. Prop. I. f. 274.* Alii in contrarium sententiam discesserunt, existimantes, non patriarchalia, sed metropolitica dumtaxat jura hoc Canone confirmari. Quam sententiam inter ipsosmet Pontificios JO. LAUNOVIUS singulari libello, antea lundaco, propugnavit. In eandem sententiam nuper discessit JOSEPHUS MOTTA, docens, *Nicenum Concilium de Metropolitis tantum fancivisse,* in *Diff. de Jure Metropolitico §. XLVIII. p. 65. & §. XC. p. 116.* Ex Reformatis prater MORNÆUM, RIVETUM, CHAMERUM, BLONDELLUM, SALMASIUM, idem ex instituto defendit GVIL. BEVEREGIUS in *Annotacionibus ad hunc canonem,* quem fecutus est FR. SPANHEMIUS in *Dissert. ante commemorata §. XXX. & XLII. T. II. Op. f. 469 & 480,* dicens, falsum esse, de patriarchalibus sedibus ullam Nicenam mentionem fieri, qui non nisi Metropolitanos norint.

## §. VI.

Illorum opinioni, qui jura Patriarchalia Canone sexto Niceno confirmata esse statuunt, opponi possunt EDM. RICHERII & DUPINII argumenta. Uterque eam sententiam, ut absurdam & contumaciam, exagitavit, atque proscriptit. Hi duumviri otium nobis fecerunt, ut labore confutationis supersedere possimus. Neque tamen LAUNOII & BEVEREGII

REGII sententia omni ex parte placet. Etsi enim Patres Nicenii Romano, Alexandrino, & Antiocheno antistiti, non ipsum jus & Patriarchae nomen, quod ea aetate ignorabatur, confirmarunt, ex accurate tamen illorum canonum, & rei ipsius examine, haud difficulter intelligitur, majus aliquid, & supra communia Metropolitanorum jura positum, illis vel collatum, vel confirmatum, adeoque hac occasione fundamenta Patriarchalis dignitatis & auctoritatis, paullo post fiscienda, jacta esse. Cum enim cuiuslibet Metropolitanano τὸ κύρος τῶν γηραιέστερων καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν, auctoritas in rebus Ecclesiasticis uniuscujusque provinciae ordinandis, Canone quarto jam asserta fuisset, Canone sexto tribus illis Romæ, Alexandria & Antiochiae Praefulibus, ceteris Metropolitanis in universo orbe Christiano eminentioribus, peculiaris ἔξεστια, ac singularia quedam πρεσβεῖα ac privilegia, usū huicdum introducta, & usurpata, sed nondum satis extra omnem controversiam posita, ita confirmarunt Patres, ut communibus & manifestis ceterorum Metropolitanorum privilegiis, dilucide opponantur. Illis enim non una dumtaxat provincia, ut meritis Metropolitanis, sed amplissimæ dioeceses, h. e. plures provinciae, simul junctæ, adscribuntur. Hinc a Patribus Constantinopolitanis, qui ann. CCCLXXXI hunc canonom Nicenum confirmarunt, vocantur εἰς τὴν διοίκησιν ἐπιλογονοι. Episcopi, qui sunt super dioecesin. Alibi dicuntur ἐπαρχοι τῆς διοίκησεως, Exarchi dioecesis, ut distinguantur ab ἐπαρχοις τῆς ἐπαρχίας, ab unius dumtaxat provinciae exarchis, quales Metropolitani erant. Idem magnarum sedium Praefules tempore concilii Nicenii dicebantur Metropolitani, paullo post Exarchi, & tandem seculo quinto Patriarche, qui non uni provincia, sed universæ dioecesi prærerant. Est autem διοίκησις, interprete BALSAMONE, η πολλὰς ἐπαρχίας ἔχεται εἰς ταῦτη, que multas sub se provin-

provincias complectitur. Aliquando appellantur *tractus* & *regiones*, sicut PHIL. BERTERIUS observavit L. I. Pithanón Cap. II. p. II, ubi & civilis imperii Romani notitiam, & Ecclesia politiam egregie illustravit. Sic Alexandrino Præsuli tribuuntur & Ægyptus, cum superior, tum inferior, & Libya, & Pentapolis, quæ longe amplissimam' conficiebant diocesis. Tero γαρ, inquit EPIPHANIUS, οὗτος ἐστι, τὸν ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ Ἀρχιεπίσκοπον πάσης Αἰγύπτου καὶ Θηραϊδος, Μαραιῶττες, καὶ Λι-  
βύης, Ἀμμωνιακῆς, Μαραιῶτιδος καὶ Πενταπόλεως ἔχειν τὴν ἐκ-  
κλησιασκήν διέκκοπιν. *Hic enim mos est Alexandrinorum episco-  
porum*, ut per totam Ægyptum, Thebaidem, Mareotidem, Li-  
byam, Ammoniacam, Maraiotidem & Pentapolin ecclesiastica  
negotia administrent, *Haeresi LXVIII. Num. I. f. m. 717. T. I.*  
*Oper.* In eodem Concilii Nicæni canone pontifici Antioche-  
no jura in universas Ecclesias Orientis, qui plurimas provin-  
cias, sicut ipso met BEVEREGIO, continebat, tribuuntur.  
Sic ante divisionem Africae in sex provincias, a Constantino M.  
factam, Episcopus Carthaginensis, tanquam Metropolitanus,  
omnes totius Africæ Antistites consecravit, non ex indulitu  
Pontificio, ut voluit CHRISTIAN. LUPUS, sed quia Car-  
thago, primo Ecclesia ævo, mera fuit Metropolis, perinde ac  
Alexandria & Antiochia, cui plures provinciae suberant, quem-  
admodum recte adnotavit MOTTA de *Jure Metropol. §. XC.*  
p. 117. Similiter sese res habebat cum antistite Romano, cu-  
jus diocesis jam tum plures provincias complectebatur, quæ  
urbicaria, vel *suburbicaria* a RUFINO, vetusto, idoneo-  
que Canonis Nicæni interprete, & scholiaste, appellantur. Ha-  
rum omnium solitudinem Episcopus Romanus gerebat.

## §. VII.

De his Ecclesiis suburbicariis, quibus Præsul Romanus ea  
estate

atate, tanquam Metropolitanus, vel potius, ut Exarchus præfuisse dicitur, non exigua dissidia inter eruditos enata fuerunt. JACOBUS GODOFREDUS, in veteri jurisprudentia, & antiquitate ecclesiastica, egregie versatus, peculiarem edidit dissertationem de *Suburbicariis regionibus & ecclesiis*, seu de *præfecture & episcopi urbis Romæ diocesis*, Francof. A. MDCXVII. Hic, perinde ac SALMASIUS, contendit, universam Romani Pontificis jurisdictionem, cum civili Præfecti Urbis comparata, ultra centesimum ab urbe lapidem minime extensam fuisse. Idem visum fuit JO. BAPT. de LUCA, Romæ olim in curia forensi JCto, & postmodum principi R. E. purpурato, in sui *Theatri Veritatis & Justitiae L. III. P. II. Discursus*. Num. 2, ubi agens de episcopatu Eugubino, Urbanicum Ecclesiastice Metropoli subjiciendo, metropoliticam particularem provinciam Romani Pontificis intra centesimum ab Urbe lapidem coërendam esse decrevit, teste JUSTO FONTANINO in *Commentatiuncula de amplitudine peculiaris provinciae S. Pontificis, ut Romani Metropole*, Romæ Ann. MDCXXV. evulgata. Contra sentiunt alii Pontificii scriptores, quorum nonnulli novam & inauditam significationem commenti, provinciarum suburbicariarum nomine vel universum Imperium Romanum, vel saltim totum Occidentem, designari voluerunt. Certarunt de hoc argumento JAC. SIRMONDUS & CL. SALMASIUS in variis libellis, quos de Ecclesiis suburbicariis ambo ediderunt. Censuram SIRMONDI de *Suburbicariis*, A. MDCXVIII editam, anno sequente exceptit SALMASII epistola de eodem argumento. Sequta est A. MDCXX *Adventoria de Suburbicariis*, auctore SIRMONDO, cui anno proximo SALMASIUS opposuit *Eucharisticon pro Adventoria*, cui SIRMONDUS anno MDCXXII. reddidit *Propemticon de Suburbicaris*. Legatur

SCHELSTRATH *Dissertatio secunda Partis I. Antiquitatis illustratae, & PAGIUS in Annales Baronianos ad annum Chr. CCCXXV. Num. XXXIV. & seq.* Contra eandem GODOFREDI & SALMASII sententiam insurrexerunt alii viri erudit, tanquam pro aris & focis pugnaturi, ac ostensuri, jurisdictionem Romani Pontificis civilis Urbanæ praefecturæ limites nunquam sequutam esse. Ex Italibz ingenii vires periclitati sunt HIERONYMUS ALEANDER, junior, in libro de *Suburbicariis regionibus, & diœcesi Episcopi Romani*, nec non M. ANTONIUS CAPELLUS, Franciscani ordinis sodalis, in disputatione de *Summo Pontificatu*, Cap. V. p. 211. Idem ex Gallis & Belgis præter SIRMONDUM tentarunt JAC. GUTHERIUS in *Specula de Ecclesiis Suburbicariis*, JO. DARTIS, sacerorum canonum interpres, in opusculo ejusdem argumenti, JO. MORINUS in *Diff. Ecclesiasticis L. I. Diff. XXX*, JA. COBUS, Cardinalis PERRONIUS in *iterato responso ad Jacobum I. Regem Britannie L. I. Cap. XXXIII. p. 215*. HENR. SPONDANUS in *Notis ad Epitomen Annalium Baronii Ann. DCCCXXV. Num. 36*. H. VALESIUS in *Observat. Eccl. ad Socratem & Sozom. L. III. f. 188*. CHRIST. LUPUS, Augustinianus, in *Scholiis ad Concilia T. I. p. 939*. & EMMAN. SCHELSTRATIUS in *Antiquitate Illustrata T. II. Diff. VI. p. 410*. Hi omnes, sed non una & eadem ratione, ac via GODOFREDI & SALMASII sententiam evertere voluerunt, quam tamen recentissime confirmavit FR. SPANHEMIUS, aliquie.

### §. VIII.

RUFINI fides, particularem dumtaxat diœcesin Romano Pontifici adscribenti, adversariis tanto minus potest esse suspecta, quanto magis a GELASIO laudatur. Ab eo enim in Concilio Romanoq ad A. CCCCCXCIV appellatur *vir religiosus, & a GEN-*

& a GENNADIO Cap. XVII. non minima pars doctorum Ecclesiae. Qui tituli, judice FONTANINO l.c. de hereticis non usurpantur. Eo felicius etiam Synodi Nicenae mentem presbyter iste Aquilejensis adsequi potuit, quo proprius absuit ab ejus etate. Res igitur omnis eo redit, ut disquiramus; ac definiamus, quanta fuerit ecclesiarum illarum submoenialium amplitudo, ac quam late hoc territorium patuerit? Ubi in tantis sententiarum divortiis id imprimis supponendum videtur, ecclesias suburbicarias provinciis suburbicariis respondere. Quemadmodum enim ecclesia Aegyptia, Asiana, Illyriciana, & orientales, ea sunt Ecclesiae, quae in istis dioecesibus erant sitae: ita etiam ecclesia suburbicaria aliae esse non possunt ab iis, quae in provinciis suburbicariis continebantur, quemadmodum DUPIN pro suo candore, & antiquitatis sacrae peritia, recte animadvertis. Tota ergo quæstio de ecclesiarum suburbicariarum limitibus ex provinciarum suburbicariarum latitudine, & numero pendet. Ipsum autem nomen, quod προάστεια, & regiones notat non longe ab urbe positas, nos commonescit, provincias suburbicarias alias dici non posse, quam illas, quae circa Urbem Romam, cui propriæ, dictaque erant, adjacebant, & provinciis, ab urbe procul dissipatis, opponebantur. Arabs, canonum Nicenorum interpres, restrinxit ad loca, quæ sunt circa Romanam. Arabs Paraphrastes apud SALMASIUM de Primatu Pape p. 104. ex Biblioteca Nicolai PEireschi ad civitates & loca, quæ prope Urbem sunt. ARISTENUS, atque SIMEON LOGOTHETA, in Epitome Canonum ad loca retulerunt ὡπὸ Ρώμης, ὡπὸ πόλιν, quæ subdita Romæ, urbi. Unde statim eorum corruit opinio, qui provinciarum suburbicariarum nomine, vel totum Imperium Romanum, vel sicut universum occidentem, designari voluerunt. Vid. PAGIUS in Critica ad Ann. CCCXXV. N. LXIV.

f. 414. & NATALIS ALEXANDER H.E. Seculi IV. Diff. XX. f. 285. Sed JUSTUS FONTANINUS, Pontifici Romano a cubiculo honorario, & Sextensis Abbas, in *Commentatione* Romæ nuper edita, & antea laudata p. 5. recte observat, post *Librum diurnum Romanorum Pontificum*, a JO. GARNERIO editum, ubi Cap. III. p. 52 titulus exstat de *Ordinatione Episcopi Suburbicarii*, neminem amplius dubitare posse, quin per suburbicarias Ecclesiæ, summo Pontifici in Canonis sexti Nicæni verbis apud RUFINUM L. X. H. E. Cap. VI. contributas, intelligatur Episcopi Romani provincia, seu diœcesis particularis, quæ complexa fuerit episcopatus S. Pontifici, ut Metropolitæ, subjectos in provinciis civilibus suburbicariis, quæ omnes unam regionem, vel provinciam Ecclesiasticam confecerint.

### §. IX.

Etsi autem sic satis intelligitur, provincias suburbicarias intra Italiam, & haud procul ab Urbe positas fuisse, non exigua tamen restat difficultas in earum nomine, & numero accurate definiendo. Illi, qui GODOFREDO & SALMASIO suffragantur, existimantes, eas provincias *urbicarias*, vel *suburbicarias* dici, quæ intra centesimum ab Urbe lapidem, qui terminus erat urbiæ jurisdictionis, coercitæ, ad præfecturæ urbanæ regimen pertinebant, & Urbico Praefecto suberant, quatuor dumtaxat provincias, seu regiones, suburbicarias dictas fuisse contendunt, Tusciæ videlicet suburbicariam, Picenum suburbicarium, & utrumque Latium, vetus atque novum, quas GODOFREDUS adjecta tabula, æri incisa, scite delineavit. CL. SALMASIUS, qui eandem sententiam propugnavit, Latium in duas regiones non dividit, sed quartam provinciam addit *Valeriam*. Hac ordinaria atque antiquissima

ma

ma, & Praefecti Urbi, & antistitii Romani, quem *urbicum Papam PAULLINUS* appellat, dioecesis fuisse, non immerito censetur. Alii provincias suburbicarias tam arctis limitibus non includunt, sed eas omnes provincias sub illis contineri putarunt, quæ paruerunt Vicario Urbis, e: j:us Vicariatus multo amplior fuit, quam praefectura, cuius potestas ultra centesimum milliarium ab urbe non protendebatur, ut apparet ex II. L. I. Tit. XII. Leg. I. §. IV. Si quid intra centesimum milliarium admissum sit, ad praefectum urbi pertinet: si ultra ipsum lapidem, egressum est praefecti urbi notionem. DIO CASSIUS L. LII. f. 480 loco centesimi lapidis πεντηκοντα εξακοντα ταρσα commemorat, quod tantundem est. Vicarius Urbis, non solum a Praefecto Urbis, sed & a Vicario Italiae, accurate distinguendus, decem regebat provincias, a Constantino M. ei adsignatas, ut ex Notitia Imperii Occidentalis apparet, nempe

quatuor Consulares:	{ Campaniam, Tusciā & Umbriā, Picenum Suburbicarium,
	Siciliā.
Correctorias II.	{ Apuliam & Calabriam, Brutios & Lucanos.
	{ Samnum, Sardiniam,
Praefidales IV.	{ Corsicam, Valeriam.

Has provincias, quæ Vicario Urbis suberant, Metropolitanam dioecesim Romani Praefulis, una demta Sardinia, quæ peculiarem habebat Metropolitanam, Caralitanum antistitem, continuasse, SIRMONDUS putavit, cuius sententiam secuti sunt PE-

TRUS de MARCA, H. VALESIUS, LUCAS HOLSTENIUS, DUPINIUS, aliique, Romanis placitis addictissimi, nec non BREREWODUS, DAVID BLONDELLUS, GVIL. CAVEUS, & alii a partibus Romanis per alieni. Eandem opinionem nuper propugnarunt Monachi Benedictini, qui GREGORII M. opera Parisiis sub hujus seculi initium emaculatius ediderunt, in *Indice Geographico*, Tomo II. subiecto f. 1318. & in primis vir illustris JUSTUS FONTANINUS, l.c. contendens, regiones antea enumeratas, cum Piceno Annonario, ac Flaminia ipsa, uno verbo, omnes Italiz Ecclesias extra Galliam Cisalpinam, Venetiam & Istriam, quæ proprios habuerunt Metropolitas, Mediolanensem & Aquilejensem, suburbicarias, & Romano Metropolitæ, nullo medio, subjectas fuisse. In his enim Ecclesiis præter Ravennatensem, seculo demum quinto sub PETRO CHRYSOLOGO institutam, ante seculi octavi medium, (addunt monachi Benedictini l.c. ante seculum nonum,) nullas metropoles erigi ceperisse, sed omnes Romano subjectas mansisse. Conferatur H. NORISII *Dissertatio de Synodo Quinta Cap. X. f. 81.*

## §. X.

Lis universa haud difficulter componi potest, si tempora recte distinguamus. Certum & exploratum est, ab initio omne illud spatium extra urbem Romam centesimo millario circumscriptum, quod totam Praefecti urbici ditionem ambitu suo continebat, urbicariæ, vel suburbicariæ regionis nomine intellectum esse. Hoc SALMASIUS ample probavit. Patrum igitur Nicænorum ætate antistitis Romani jura metropolitica, vel, si mavis, Exarchica, ultra centeni lapidis terminum non extendebantur. Sed paullo post, crescente Romanorum antistitum opulentia, fastu, ambitione, luxu & auctoritate, eorum potestas sensim paullatimque extolli, eorumque juris-

jurisdictio in omnes Vicarii Urbici provincias, & ultra, exten-  
di cepit.

## §. XI.

Ex iis, quæ hactenus copiose disputavimus, apparet, Pa-  
tres Nicænos antistitem Romanum non pro oecumenico Ecclæ-  
siæ Monarcha, sed pro privato tantum, & pro antiquo, ac primo  
Metropolitanorum habuisse, & sancivisse, ut, quod ille juris ha-  
bebat in sua diœcesi regenda, id in regiam cederet ac normam  
ceteris Metropolitanis, ita ut sine eorum auctoritate & con-  
sensu nullus episcopus legitime posset consecrari. Ex noto  
Patres inferunt <sup>ignotum</sup>, & ex jure Metropolitani Romani,  
ordinandi suæ ditionis episcopos, stabiliunt potestateñ Ale-  
xandrinî per illas provincias, in quibus jus ei metropoliticum  
competebat circa episcoporum ordinationem. In hoc jus ME-  
LETIUS involare ausus erat. Hanc sententiam definitioni  
Nicæna inesse, olim rectissime vidit Papa NICOLAUS I. quo  
non aliud melior, aut potior quærendus est interpres, diser-  
tis verbis ingenuo professus: *Si instituta Nicæna Synodi diligenter inspiciuntur, invenietur profecto, quia Romane Eccle-  
siæ nullum eademi Synodus contulit incrementum: sed potius ex  
eius forma, quod Alexandrinæ Ecclesie tribueret particulariter, sumit exemplum*, in Epistola VIII. apud HARDUINUM  
T. V. Concil. f. 163.

## VIII.

Inde luce meridiana clarius apparet,  
seculo Ecclesiæ Christianæ quarto  
Papam Romanum nondum totius  
occidentis Patriarcham, ac multo  
minus

minus universi orbis Christiani caput, aut Monarcham, sed antiititem dumtaxat particularem fuisse, aliis Metropolitanis, vel Exarchis, ac Primatibus, nequaquam superiorem.

## EXPOSITIO.

### §. I.

**Q**ui pares habet, ille dici nequit summus. Atqui in canone sexto Nicæno sedes Alexandrina Romæ dicitur *parilis*, teste FONTANINO l. c. p. 7. & p. 5. Ergo Romanus antistes ea ætate non fuit Ecclesiæ princeps & monarca. Qui ex antiqua consuetudine nonnullarum dumtaxat Ecclesiarum in certa diœcesi sollicitudinem gerit, ille non est antistes œcumenicus. Atqui penes Romanum Papam eo tempore suburbicariarum dumtaxat ecclesiarum procuratio fuit. Ergo in universam Ecclesiæ nullam habuit potestatem. Rescerta est ex definitione Nicæna, & ex illius paraphasi apud RUFINUM, secundum quem Nicæni Patres defiviverunt, ut apud Alexandriam, quemadmodum in urbe Roma, *vetus* *confusio* *servetur*, ut & ille, Episcopus scil. Alexandrinus, *Ægypti*, sicut hic, Romanus, *suburbicariarum* *ecclesiarum* *solicitudinem* *gerat*. Hæc potestas non potest restriigi ad sola ordinationum jura, sicut PETRO de MARCA viiij est, quem PAGIUS recte refellit in *Critica ad A. Chr. CCCXXV. s. XLI.* Nam sermo est de Ecclesiarum gubernatione, nulla prorsus ordinationis facta mentione, id quod

H. VA-

H. VALESIUS l. c. recte observavit. Probat hanc RUFINI expositionem FONTANINUS l. c. & docet, *canone illo confirmari antiquam jurisdictionem Episcopi Alexandrini in ecclesiis Ægypti, Thebaidis, Libyæ & Pentapolis, PAREM jurisdictioni peculiari, quam Romanus Pontifex in ecclesiis suburbicarias exercebat.* Hic nullam hærefin esse, vir illustris ait. RUFINUM enim nihil aliud dixisse, quam jurisdictionem Episcopi Alexandrini in Ecclesiis Ægypti, & ceterarum provinciarum, parem esse jurisdictioni particulari, quam habebat Romanus Pontifex in suas Ecclesiis suburbicarias. Quacunque igitur amplitudine illas ecclesiis sumas, sive modica Præfecti Urbici ditioni respondeant, sive ad decem Vicarii Urbis provincias extendas, ut satis magnam diœcesin constituant, tamen antistes Romanus particularis Episcopus manebit, nec Alexandrino & Antiocheno major erit. Res tam manifesta est, ut adversiorum doctissimi id non audeant negare. Provocamus ad DUPINIUM, qui *Diff. I. de Eccles. Disciplina s. XIV. p. 92.* recte observavit, in antiquis monumentis suburbicarias provincias, quæ circa Romanum adjacebant, procul distis ab urbe regionibus, e. g. Galliæ, Hispaniæ, Africæ, opponi. Recitat hunc in finem legem *XXXIV Codicis Theodosiani L. VIII. Tit. V.* ubi statuitur, ut decretum in gratiam Africæ Proconsularis latum, locum etiam habeat in provinceis suburbicariis. Ergo Africa, Germania, Gallia, Hispania, Britannia, Illyricum, ac superior Italix pars, Romano antistiti hoc tempore nondum fuerunt subjectæ.

### §. II.

Adversarii in angustias redacti viam elabendi quæsiverunt distinguendo particularem Romani Episcopi jurisdictionem, quam ut Episcopus & Metropolitanus habere dicitur, ab universalis potestate, & principatu in Ecclesiam universam, quem

K

acce-

accepisse censemur a Christo, cuius vices his in terris gerat. Hunc in finem NATALIS ALEXANDER inculcat, Romanum Pontificem quadruplici insignitum esse dignitate. Episcopum esse Urbis Romæ; Romanæ provinciæ, regionumque suburbicariarum Metropolitam; solidi occidentis Patriarcham, & rotius Christiani orbis Pontificem ac caput. In Concilio Niceno Alexandrini Patriarchæ potestatem & jurisdictionem ad normam Pontificia potestatis non mensurari, quæ Romano Pontifici in orbem competit universum, sed ad normam Patriarchici juris, quo fruatur in solidum occidentem, in *Hist. Eccles. Sec. IV. Diff. XX. f. 283.* Idem ajunt ceteri gnathones, nostri argumenti vim elusuri. JO. DARTIS de *Suburbicariis Cap. XVIII.* se gratulari, ait, RUFINO, quod tam bene senserit de S. Pontifice, & tam eruditè sejunxerit diœcesin specialem Romani Pontificis ab universalis. Hanc sententiam probat illustris FONTANINUS l. c. p. 5. persuasus, confirmatusque, per ecclesiæ suburbicarias, Summo Pontifici contributas, intelligi Episcopi Romani provinciam, seu diœcesin particularem, ab universalis, patriarchali, & primitiali distinctam. Sic PHILIPPUS BERTERIUS *Libro II. Pithanon p. 170.* distinguit Pontificis Max. diœcesin, quæ orbis terra regionibus terminetur, ab ejus patriarchatu, certis provinciis definito. In eandem sententiam alii adversarii etiam concedere solent.

### §. III.

Hæc distinctio sanando vulneri peraccommodata foret, si ex ingenio non confusa, nec tuenda Pontificia potestatis eaufsa a gnathonibus excogitata esset. Nam universalis illa S. Pontificis potestas & jurisdictione nullum in sacris literis, & genuinis primitivæ Ecclesiæ monumentis, præsidium habet, sed fictitia

tia & adulterina est. Turpiter se dedit MELCHIOR COR-NÆUS, Ignatiani ordinis sodalis, *primatum Papæ ex primis quinque Christianitatis seculis*, edito A. MDCLX. Herbipoli libello, demonstratus. Idem sentiendum est de volumino-so, & stupendæ molis opere J. T. ROCABERTI, Romæ XX. Tomis A. 1695 pro tuenda Papæ auctoritate edito, quod *Bibliotheca Maxima Pontificia* inscribitur. Nihil in eo exstat expectatione dignum. Multa auctorum testimonia ex sœc. idis petita sunt lacunis, quod adversariis frequens est atque solempne. Plurima, quæ genuina sunt, nihil probant. Et ubique primatus Ecclesiæ Romanæ, quem ratione ordinis propter Urbis amplitudinem & dignitatem ex instituto humano obtinuit, cum universali ac monarchica in totius orbis Ecclesiæ potestate, ac jurisdictione, quam Pontifices serius sibi vindicarunt, confunditur. Hæc enim nullo idoneo argumento, quod examen sustineat, ex genuinis antiquitatis Ecclesiasticis quatuor vel quinque priorum seculorum tabulis fulciri & confirmari potest. Contra ex accuratiore canonis Nicani contemplatione & examine, ac in primis ex interpretatione RUFINI, qui mentem Synodi ignorare non potuit, illud certum & exploratum est, Romani antistitis potestatem *quartæ* post Christum natum seculo, intra certos limites, & eos qui-dem satis exiguo, videlicet intra submoenialium Ecclesiæ canellos, restrictam fuisse, ultra quos *dioicēsēs, ἀκορεψία, ἐξουσία, ἐπισκοπή,* aut *πρεσβεῖα*, & potestatem Ecclesiasticam pro-tendere nefas erat. Similis solicudo, & potestas metropolitica, quæ Romano Præsuli in sua *ἐπαρχίᾳ*, vel diœcesi, tri-buitur, Alexandrino etiam, & Antiocheno adscribitur. Li-mibus igitur circumscripta & ceteris aquata fuit. Quod longe abest a sequioris temporis more & fastu, quo Pontifices

non unam alteramve provinciam, sed universum orbem sua  
solicitudine voluerunt gubernare.

#### §. IV.

Eiusmodi dominatus, temporum difficultate, variisque  
dolis ac artibus investitus, diutissimeque, cum incredibili rei  
farcæ detrimento, usurpatus, à prisca Ecclesiæ instituto pror-  
sus abhorret, quæ Romanum antistitem non pro universali  
Ecclesiæ capite, ac judice falli nescio, agnovit, sed ceteris Me-  
tropolitanis, ac Primatibus, censuit parem. Prostant hujus rei  
argumenta omni exceptione majora. Quid opus fuisset, ex  
ultimis Romani Imperii finibus ad comitia sacra tantis summi-  
bus atque molestiis evocare episcopos, quando lites in Eccle-  
sia coorta sponda, & errores a falsis ac inquinatis doctori-  
bus disseminati, profligandi erant? Cur Patres, tam Græci,  
quam Latini, ac ipsimet Imperatores Christiani, neglexerunt  
oraculum Romanum, si illo tempore aliquod fuit in Ecclesia  
summum, & ab omni errandi periculo immune? Pro ejus-  
modi autem capite & judice œcumenicò Romanum Episco-  
pum nequaquam agnatum cultumque fuisse, innumera pro-  
stant indicia & argumenta. Frequenter legimus AMBROSIUM  
cum Romano Episcopo, ut cum fratre & coepiscopo mutuis  
literarum & communicationis officiis egisse. Eo enim tem-  
pore Romano Praefuli nihil juris erat in superiorem Italæ  
partem, quæ in civilibus Viçario Italiae, & in rebus Ecclesiasti-  
cis Metropolitanu Mediolanensi, ac Aquilejensi, suberat, qui-  
bus circa medium seculi quinti accessit Metropolitanus Ra-  
vennatis. Qui omnes ἀυτοὶ φαλοὶ erant. Conf. DAV. BLON-  
DELLUS de Primatu Cap. XXXIII. Sect. I. §. 4. f. 85. Sic  
Afri antistites in Concilio Carthaginensi sexto A. CCCCXIX.  
congregato, BONIFACIUM, Episcopum Romanum, non Do-  
minum,

minum, nec Patrem, sed *fratrem* appellarunt, & *confacer-*  
*dotem* suum, apud JO. HARDUINUM T. I. Concil. f. 1245.  
 Synodi Alexandrinæ A. CCCCXXX celebrata Patres CÆLE-  
 STINUM Romanum vocant ΑΔΕΛΦΟΝ καὶ ΣΥΛΛΕΙΤΟΥΡΓΟΝ  
*fratrem* & *confacerdotem suum*, perinde ac ipse CÆLESTI-  
 NUS l. c. f. 1311, in epistola ad clerum Constantinopolitanum  
 CYRILLUM appellat ἀδελφὸν καὶ συνεπίκουπον, & iterum,  
 ἀγαπητὸν ἀδελφὸν, f. 1321. Similiter eundem CÆLESTINUM  
 vocant suum συλλειτεργὸν, & Romanae, non universa Ecclesiæ  
*Episcopum*, l. c. f. 1422. Ὡς f. 1503. Sic JOANNES ANTIO-  
 CHENUS pari honoris loco habet SIXTUM, Papam Roma-  
 num, CYRILLUM ALEX. & MAXIMIANUM Constantino-  
 politanum, qui omnes ipsi erant ΣΥΛΛΕΙΤΟΥΡΓΟΙ, apud  
 eundem HARDUINUM l. c. f. 1687. Idem senserunt Synodi  
 Arelatensis A. CCCXIV celebrata Patres, Papam Romanum  
 in epistola Synodica appellantes *fratrem dilectissimum*,  
 T. I. Concil. f. 261. ejusdem edit. Harduinianæ,

## §. V.

Si summum in rebus Ecclesiasticis judicium penes antisti-  
 tes Romanos jam ab exordio Ecclesia fuit, quærere liceat,  
 quamobrem summam illam potestatem non exercuerint?  
 Olim enim summa auctoritas in Ecclesia partim *Synodalis*,  
 partim *Principalis* fuit. Res omnes graviores referebantur  
 ad Synodos, ex decreto Nicenorum & Constantinopolitanorum  
 Patrum. Imperatores aliquae Reges, Christi sacrī initiati,  
 sua auctoritate, non consulo antistite Romano, non  
 nunquam etiam invito, & repugnante, concilia convocarunt,  
 eademque confirmarunt, provocationes ad se admiserunt, ju-  
 dices de rebus sacrī constituerunt, leges Ecclesiasticas con-  
 siderunt, pœnas in sacri ordinis viros decreverunt, & consti-

tutiones promulgarunt, in Codice Theodosiano & Justinianō hodienum legendas. Et SOCRATES in proœmio Libri quinti Historiæ sacræ diserte narrat, res Ecclesiæ ab Imperatorum Christianorum arbitrio & nutu eo tempore dependisse. Ad quæ verba H. VALESIUS nihil monendum castigandumque duxit.

## §. VI.

Rei illustrandæ cauſa provocamus ad exemplum LEO. NIS Papæ, ob res solerter & præclare gestas, & amplificatam Sedis Romana dignitatem, Magni cognomem consecuti, qui Imperatori THEODOSIO & PULCHERIÆ Augustæ humilime supplicavit, ut generalem Synodum intra Italiam celebrari juberent, ad dissidia ab Eutychianis excitata, & universæ Ecclesiæ luctuosa, Patrum suffragiis & auctoritate componenda, apud HARDUINUM T. II. Concil. f. 26. § 29. Aula Italia displicuit, quia canones volabant, ut negotia, ubi orta sunt, finirentur. Hinc Imperator primo Nicæam, deinde Chalcedonem, amplam Propontidis urbem, e regione Byzantii in Bithynia, elegit, quo Imperiali jussu Ann. CCCCLI. Patres DCXXX ex universo orbe confluxerunt. Auctor concilii Chalcedonensis & summus moderator fuit MARCIANUS, testibus literis Imperatoriis ad LEONEM Romanum, ad ANATOLIUM Constantinopolitanum, & ad omnes episcopos scriptis, quæ in Tonis Conciliorum exstant. Idem confirmant Concilii Patres in Actis f. 466, quin & LEO ipse l.c. f. 47. ultro libenterque fassus, Synodum Chalcedonensem auctoritate & præcepto Imperatorum indictam esse. Sed videamus specimen fraudis, qua gnathones ad tuendam Pontificis auctoritatem non raro uti solent. Significaverat MARCIANUS LEONI Romano, omnes sanctissimos episcopos debere convenire ad locum comitiis habendis destinatum,

npius

concius

ημῶν δόξη, ubi NOBIS, videlicet MARCIANO, VALENTINI-  
ANO, & PULCHERIÆ Augustæ, placuerit. Hanc lectio-  
nem repræsentant omnes codices, tam impressi, quam manu  
exarati. Eadem habet Conciliorum editio Romana, Labbea-  
na, T. IV. f. 63, quin & Harduiniana, T. II. f. 43, & novissima  
Veneta, quæ cura NICOLAI COLETI superiori anno prodi-  
re coepit, T. IV. f. 834. At vero BARONIUS ad Ann. Chr.  
CCCC. Num. XXIII. f. 122, sicutum lectori facturus, pro  
HMIN nobis, néquiter substituit vocem ὑπὲν, VOBIS, ubi Pon-  
tifici scilicet Romano placuerit. Quod manifestum & foedum  
est crimen falsi, annalium conditore, ac parre purpurato ir-  
dignum. Legatur EDM. RICHERIUS in *Historia Concilio-  
rum General. Cap. VIII. §. X. p. 355, & §. XXV. p. 390*, ubi  
observat, sumilem fraudem circa idem hocce concilium admis-  
sisse etiam BELLARMINUM, sola absolutæ monarchiæ con-  
fidentia ductum.

## §. VII.

Plurimi ex Romanis Episcopis jus aliquod ac potestatem in  
Ecclesiæ occidentales ac transmarinas affectarunt quidem, sed  
aliquoties turpiter fuerunt repressi. Memoratu digna est  
caussa APIARII, presbyteri Siccensis in Africa Mauritania Cæ-  
sarensis, qui a suo antistite ob varia crimina juste exaucitora-  
tus, consugit ad ZOSIMUM Romanum, qui hominem flagiti-  
osum, & ex Ecclesiæ civitate ejectum, in suam communio-  
nem imprudenter recepit, eundemque in pristinam sedem &  
dignitatem restituere voluit, missis in Africam legatis, plena  
potestate instructis. Sed Afri, inter quos ipse AUGUSTI-  
NUS fuit, T. I. *Concil. HARDUINI* f. 950, ejusmodi fastum,  
& amplificandæ jurisdictionis pruritum, perindigne tulerunt,  
scriptisque literis Romanum Episcopum rogarunt, ne definab-

Afris

Afris excommunicatos recipere, nec sumosum typhum seculi  
*in Ecclesiam Christi inducere velit*, graviter monentes, nihil  
 competere Romano Episcopo, nisi quod canonibus prescri-  
 ptum esset. Id quod FAUSTINUS ipse, Romanæ Sedis lega-  
 tus, agnovit, & concessit, urgens non potestatem Romani an-  
 tistitis oecumenicam, & monarchicam, sed Nicænorum dum-  
 taxat, vel potius Sardicensium canonum, quos pro Nicæniis,  
 astute quidem, sed pessima fide, supposuerant Romani, obser-  
 vantiam, & conservationem. Quo uno facto caussam Ro-  
 mani Episcopi funditus eversam esse, recte judicavit CARO-  
 LUS MOLINÆUS, ringente BARONIO ad A.Chr. CCCXIX.  
*Num. LXV. T. V. Annalium f. 463.* Legantur EDM. RI-  
 CHERIUS in *Hist. Concil. Gen. P. I. Cap. VI. p. 199.* L. ELLIES,  
 DUPIN Parte III. Bibliothecæ sub finem, p. 538. & Diff. II.  
*de Antiqua Ecclesiæ Disciplina p. 176.* & FRANC. SPANHE-  
 MIUS in *Hist. Eccles. T. I. Op. f. 984.* Idem Afri canone  
 XXXIX apud HARDUINUM T. I. Concil. f. 883, ejusmodi  
 fastum ex civitate DEI eliminaturi, vetant, quenquam primæ  
 sedis Episcopum appellari *Principem sacerdotum,*  
 aut *summum sacerdotem*, aut aliud  
 hujusmodi.



Aug VI 57 (1)



3

f

TA 70  
nur 4. Seite verknüpft

Rehbo



181

Q. D. B. V.

NOVITATEM  
REGIMINIS MO-  
NARCHICI  
IN ECCLESIAM UNIVERSAM

PRÆSIDE

SALOMONE DEYLINGIO,  
S. S. THEOLOGIÆ DOCTORE, EJUSDEMQUE  
PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, CAPITULI CI-  
ZENSIS CANONICO, CONSISTORII ASSESSORE,  
NATIONIS MISNICÆ SENIORE, ECCLESIÆ HUJUS LOCI  
AD D. NICOLAI PASTORE, ET DIOECSEOS  
LIPSIENSIS SUPERINTENDENTE,

IN ACADEMIA, QUÆ LIPSIÆ FLORET,

PERSPICUE EXPONET

M. CHRISTIANUS KORTHOLTUS,  
KILON. HOISAT.

DISSERT. II.

D. XXIV. Januar. A. O. R. cl 10 ccxxx.

LIPSIÆ, LITTERIS SCHEDIANIS.

Farbkarte #13

